

IOANNES FABRITIVS CAPITO THEOLOGVS.



Wolfgangus Hagenoë honestis parentibus natus est anno 1481. Is cū primas literas in patria didicisset, sese ad Basiliensem academiam contulit, atq; linguarum & artium studio magna diligentia incubuit. In ijs cum fœliciter uersatus esset, etiam Theologiæ operam dedit, & in ea facultate tantos progressus fecit, ut Doctoralia insignia publicè receperit. In ea schola cum postea aliquādiu docuisset, & in cathedrali templo 1516 concionatorē egisset, tandem Moguntiam peruenit, atq; Alberti cardinalis cōsiliarijs adiunctus fuit. Cum autem paulo pōst Lutheri doctrina per Germaniam increbuisset, eandem diligenter examinauit, & tandem utrisq; ut dicitur, ulnis amplexus est. Inde Argentinam petiit, & sua eruditione effecit, ut ad S. Thomam præpositus constitueretur.